



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Historia Reverendissimorum ac Illustrissimorum  
Dominorum Praepositorum, Decanorum & Scholasticorum  
Cathedralis Ecclesiæ Hillesheimensis**

**Behrens, Konrad Barthold**

**Lemgoviae, 1705**

Illustrissimo ac Reverendissimo Administranti Cathedrali Hillesheimensis  
Ecclesiæ Capitulo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64282](#)

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO  
**ADMINISTRANTI**  
**CATHEDRALI**  
**HILLESHEIMENSIS ECCLESIAE**  
**CAPITULO.**

*Dominis Suis, Gratiissimis ac Gratiis.*

D. D. D.

**CONRADUS BERTHOLDUS BEHRENS.**

**M**agna semper omni ævo Illustrissimi  
 CAPITULI Vestri dignitas exstitit &  
 septingenti anni sunt, quod HENRICUS  
 Bavariae Dux, Imperatoria OTTONUM  
 domo prognatus Vestro gremio ac curæ concre-  
 deretur, ut in spem, Imperii aliquando mo-

A 2

de-



derandi, quæ quoque non fecellit, formaretur, cuius Hospitii tam grata Ipsi dein memoria mansit, ut cum Bambergensem Episcopatum fundaret, nil magis in votis haberet, quam ut istius Ecclesiæ Canonici Hildesiensibus suis se quam maximè semper similes præberent. Adeo nulli non seculo veritati semper conforme fuit, quod ante ducentos annos ab Autore quopiam scriptum memini: Ad Capitulum Cathedrale Hillesheimense non nisi Nobili loco natos, aut doctrina præstantes admitti, quodque, cum singulæ per Saxoniam Westphaliāmque Cathedrales, certis denotationibus exprimerentur, soli Hillesheimenses Religiosorum epitheton sibi vindicarent.

Non est vero, quod plura hujus generis, quæ de REVERENDISSIMO CAPITULO Vestro Annalium Diceceſeos nostræ libri illustria suppeditant, hic recensēam, cum singula hæc non minus scripturæ hujus modus recipiat, quam gloriæ Vestræ, quæ ancipiti hoc tempore per universam Europam in ore omnium est, ego decoris quippiam impari scriptione mea conciliare valeam. Illud tantum denoto, cum nostro ævo pleraque, etiam exigui interdum

dum momenti res literis tradantur , multo magis dignum esse , illorum qui Capitulis ejusmodi Cathedralibus cum patriæ commendo ac zelo præfuerunt memoriam posteritati consignare.

Hoc ipsum quamvis à me exspectari nullo modo queat , ceu quem professio occupation detinet , nolui tamen , quæ quidem hoc in'generi se offerebant , Eruditum orbem amplius latere , saltem ut eos , quibus promptior antiqua ejusmodi tabularia perlustrandi occasio , & aptiore stylo consignandi facultas quoque est , ad accuratiora excitarem , cumque Medicos ad scriptionem ejusmodi se applicantes , invida plerumque ac maligna Politicorum iudicia comitentur , ipse met tantum , nec tamen absque exemplo magnorum Medicorum , fungerer vice cotis , acutum reddere quæ ferrum valet , exsors ipsa secandi .

Ad VOS autem ILLUSTRISSIMI GRATIOSISSIMI DOMINI , spectabant pagellæ hæ , ceu DOMINORUM PRÆLATORUM VESTRORUM seriem ac gesta recensentes , quas quod NOMINI VESTRO splendidissimo inscripserim , non ingratas existuras arbitror ,

A 3

cum



cum alio absque piaculo transferri non potuissent, & tam insignis VESTER, erga rem literariam favor, cuius publicum indicium instructissima Bibliotheca VESTRA præbet, quam gratiosus plerorumque affectus, me ultro quasi ad hoc ipsum invitârint.

DEUM veneror, ut Illustrissimum CAPI-TULUM VESTRUM salvum semper ac in-colume servet ac tueatur scripsi Hildesii, die IX Julii Anni c<sup>lo</sup> CCV.

CATA-